

Solvuntur objectiones.

Objicit. 1. Auctor Præ-Adamitice fabulæ locum illum Apost. Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ; atqui nomine legis, in hoc textu, intelligenda venit lex Adam data, cujus transgressio fuit peccatum Adæ: ergo peccatum erat in mundo usque ad legem Adamiticam: ergo & ante legem Adamiticam: ergo & homines erant, qui ante Adamum peccaverunt, quamvis peccatum ipsis imputatum non fuerit, cum lex non esset. Prob. Min. Peccatum, quod erat in mundo usque ad legem, de qua loquitur Apost. non imputabatur; atqui peccatum, quod erat in mundo ab Adam usque ad legem Mosaicam, fuit imputatum, ut patet in ipso Adamo, in Caino, in Lamecho, in Onam, in Diluvio, in subversione Sodomæ, &c. ergo Apost. intelligit legem Adamo datam. R. N. Min. Certò enim constat, per legem ab Apost. verè intelligi legem Mosaicam, juxta modum loquendi Scripturæ, quo lex absolute nominatur ea, quæ Judæis per Moysen data est. Ut Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem.* cap. 22. *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Luc. 16. *Lex & propheta usque ad Joannem.* Joann. 1. *Lex per Moysen data est.* Ad Rom. 7. *Non cognovit peccatum nisi per legem.* c. 10. *Finis legis Christus:* & alibi plurius. Ad probationem in contrarium, D. Min. 1. Peccatum, quod erat in mundo ab Adam usque ad legem Mosaicam, fuit imputatum ad reatum culpæ, & pœnæ coram Deo, C. fuit imputatum ad transgressionem, & prævaricationem, N. Peccatum enim & prævaricatio non sunt idem apud Apost. prævaricatio namque vocatur, cum quis sciens peccat contra legem, quod maxime contingit, quando adversus legem verbo scripto diserte positam peccatur: unde Apostolus cap. 4. præced. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Antè autem legem scriptam homines ut plurimum ex certa scientia non peccabant: Lex enim naturæ obscurata erat, etsi non extincta, adè ut ad lumen illius vix attendere. Unde gentes, quæ hanc solam legem habebant, dicuntur ab Apost. Rom. 2. sine lege peccare, sine lege esse, & sine lege puniri. Cum addit Apostolus: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ,* id est, in eos, qui voluntate propria non peccaverunt, ut Adam peccaverat, scilicet in infantes nondum ratione utentes; aut qui non peccaverunt ut Adam contra aliquam legem verbo, vel scripto sibi a Deo positam. Ità Estius.*

2. D. eandem Min. Peccatum fuit imputatum ad transgressionem legis naturalis, C. ad transgressionem legis positivæ, N. Cum tunc, inquit ipse Apost. non esset talis lex. Vel 3. D. Peccatum fuit imputatum, hoc est, habitum fuit peccatum coram Deo, C. Hoc est, fuit reputatum, & cognitum peccatum apud homines, saltè plerumque, N. Per legem enim, inquit idem Apost. Rom. 3. *cognitio peccati.* Et cap. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces.* Vel 4. tandem, D. Peccatum fuit imputatum ad pœnas generales, & Deo arbitrarías, C. Ad pœnas pro singulis determinatas, qualiter lex determinavit, N. Hæc sunt varæ interpretationes, quas legitime patitur textus Apost. & quæ fermè in idem coincidunt.

Objicit 2. idem Auctor plura ex cap. 4. Genes. 1. Ibi dicitur Cain Agricola, qui autem dicit Agricola, multas supponit artes & multos artifices, qui defuissent, si alii antè Adam non fuissent: ergo. R. Cainum ope fratrum, qui jam tunc multi erant, coluisse terram, non is omnibus instrumenti & omni apparatu, quo nunc eam colunt nostri Agricolæ, sed crescente paulatim familia & industria profecit.

Inst. 1. Ibidem Deus dicit Caino: *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Id est rapieris ad iudices, qui pœnas sceleris a te repositus; in foribus enim, id est, in portis, Scriptura teste, solebant Orientales exercere judicia; id autem supponit fuisse homines in mundo alios ab Adam & ejus filiis: ergo. R. Hæc verba, *statim*

in foribus peccatum aderit, significare, quòd pœna peccati aderit quasi canis, & Cerberus præ foribus animi instar vindicis culpæ. Ità significat juxta Interpretes vox hebræa *Robets:* hic autem canis est ira Dei imminens, omnesque pœnæ presentis & futuræ vitæ, sed præsertim vermis conscientie.

Inst. 2. Ibidem Cain dicit: *Omnia, qui invenerit me, occidet me... & posuit Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnia, qui invenisset eum;* atqui frustra timuisset Cain, frustra Deus illi posuisset signum, ne occideretur a quoquam, nisi supponantur homines incolæ regionum, ad quas Cain confugisset: ergo. R. Cainum timuisse occidi a fratribus suis & eorum filiis, qui habitabant plagam Orientalem Eden: *Potuit enim,* inquit Ambros. 1. 2. Cain & Abel. cap. 9. *& Parentes Parricidas timere, qui docuerat Parricidium committi posse.* Ad ejus & tam præcedentium, quam subsequenitum faciliorem intelligentiam observandum est ex cap. 9. Genes. Seth natum fuisse anno Mundi & Adæ 130. & ex 4. natum & positum fuisse Seth. pro Abele occiso a Caino. Unde colligitur, Abelen fuisse anno mundi 130. aut saltè paulò antè. At omnino verisimile est, anno mundi 130. genus humanum fuisse propagatum ad plura centena hominum millia, cum intrà 215. annos Captivitas Ægyptiacæ propagati fuerint filii Israël usque ad sexcenta millia virorum militie idoneorum. Hoc posito, facile expediuntur difficultates, quas objicit Peyrierus ex illo cap. 6. Genes.

Inst. 3. Dicitur ibidem: *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch;* atqui illa uxor non erat ex familia Adæ, cui nondum nata erat filia; ergo ex alia stirpe, quæ narratur 1. capite Genes. R. N. Min. Quamvis enim Scriptura non commemoret aliquam filiam esse natam Adæ, non sequitur nullam fuisse; non enim omnes filios & filias Adæ recenset. Sororem itaque suam duxit Cain, quod ipsi licuit in illo generis humani exordio, quoniam aliter propagari non poterat, ut dicit Aug. 1. 15. de civit. cap. 16.

Inst. 4. Dicitur ibidem, quòd Cain edificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch; atqui ex sola Patris familia non potuit habere sufficientes artifices ad constructionem civitatis, neque sufficientes Cives ad ejus habitationem: ergo idem quod prius. R. N. Min. Non enim certum est, Henoch fuisse primogenitum Caini; & quamvis ita esset, non statim ab ejus nativitate civitatem construxit; sed diù postea, ut scribit Aug. libr. cit. cap. 8. *Non idèd,* inquit, *putandum est, tunc a Patre conditæ Civitatis nomen ejus impositum, quando natus est... sed cum illius hominis familia tanta numerositate creveret, ut haberet jam populi quantitatem.* Nec obstat, quòd Moyses paucissimos homines usque ad illius civitatis constructionem, imò usque ad Diluvium commemorat; id enim sui instituti non erat, qui solùm per certas generationes ab Adamo ad Abrahamum, & ab isto ad populum Dei, ejusque Regem Christum historiam deducebat.

Inst. 5. Ex Josepho, qui narrat Cainum profugum ad Orientalem plagam Eden rapinas exercuisse, *acclis indequaque latrociniorum & nequitie sociis;* atqui id debet intelligi de aliis hominibus, quam de suis nepotibus: ad quod enim in proprios nepotes rapinas exercuisset, cum in tanto rerum vacuo, si sic supponatur, domini sui fines, quòd voluisset, poterit extendere? ergo. R. Dato vera esse, quæ narrat Joseph, N. Min. Et dico, Cainum socios suorum latrociniorum ex sua familia aggregasse, & ea in filios Seth exercuisse: qui enim fratrem occiderat, nepotes potuit persequi, & eorum bona diripere. Id facile intelliges, si observes ex Aug. Cainum fuisse constitutum caput civitatis terrenæ, & Seth caput civitatis Dei, quorum idèd filii vocabantur filii Dei, & inde inter has duas familias, ob morum diversitatem, perpetuum fuisse dissensionem.

Obj. 3. Monumenta historice Chaldæorum, Ægyptiorum, & Sinensium, qui plura annorum millia originis suæ supra Adamum numerant. R. Hæc historia secularis monumenta ex aliis etiam historiae secularis fidelioribus, & sincerioribus testimoniis falsitatis revinci, sed maxime ex Scriptura Sacra, adversus quam nulla humana testimonia prevalere possunt. Hac de re legendus est Aug. libr. 12. de Civit. cap. 10.

DISSERTATIO VII. DE EFFECTIBUS PECCATI.

D. Thom. QQ. 85. 86. & 87.

Egimus hinc usque cum Auctore de causis peccati; nunc agendum de ejus effectibus, qui sunt corruptio boni naturalis, macula animæ, & reatus pœnæ. (Q. 85. in proem.)

ARTICULUS I.

Utrum bonum animæ minuitur, aut etiam tollatur per peccatum?

NOta 1. (Ibid. art. 1. o.) Bonum naturæ posse dici tripliciter: 1. Ipsa principia, ex quibus natura ipsa constituitur & proprietates ex eis resultantes, sicut potentia animæ, & alia hujusmodi. 2. Inclinatio ad bonum honestum, quam habet homo ex hoc quòd sit naturæ rationalis: unaqueque enim natura ex se inclinatur ad bonum sibi conveniens; bonum autem conveniens naturæ rationali est bonum rationis, quòd est bonum honestum, & virtutis. 3. Bonum justitiæ originalis, collatum a Deo toti naturæ humane in primo homine; quòd, licet esset entitative supernaturalis, dicitur tamen bonum naturæ, partim quia perficiebat naturam, partim quia erat collatum toti naturæ, & ad omnes homines cum natura debebat transfundi, si Adam non peccasset. Potest etiam intelligi per bonum naturæ sanitas, & bona constitutio corporis.

Nota 2. (Ibid. art. 2. o.) Potentiam posse diminui dupliciter. 1. Intrinsece, & ex parte subjecti, ut si auferatur aliquid ejus entitatis, aut intensiois, sicut habitus dicitur muti, quando remittitur. 2. Extrinsece, & ex parte termini, quando supervenientibus obstaculis impeditur a consecutione sui termini.

Dico 1. (Ibid. art. 1. o.) Bonum naturæ primi generis non tollitur, nec minuitur entitative per peccatum; quia per peccatum nihil auferitur a substantia animæ, aut ab ejus potentia, quæ sunt incorruptibiles, & immutabiles secundum se. Unde juxta commune axioma, ex S. Dionysio, *Naturalia in Dam-nibus manserunt integra.* Bonum tertii generis est totaliter ablatum per peccatum originale, ut constat ex Dissertat. præced.

Dico 2. Bonum (Ibid.) naturæ secundi generis, id est, inclinatio ad bonum honestum, minuitur per peccatum, non intrinsece, & ex parte subjecti, seu radicis; quia ut dictum est, per peccatum anima, aut ejus potentia nihil entitatis perditur; sed ex parte termini, quia peccatum actuale inducit dispositionem prava ad similem actum, & per peccatum originale homo avertitur ab ultimo fine; utroque enim modo minuitur inclinatio ad bonum honestum; priori quidem, quia ista prava inclinatio ad bonum inhonestum est obstaculum, quo homo impeditur, ne facile feratur ad bonum honestum contrarium: posteriori modo, quia finis in operabilibus se habet, ut prima principia in speculabilibus. Sicut ergo, qui caret assensu principii, parum idoneus est ad deducendas conclusiones; sic, qui est avertus ab ultimo fine, non est expeditus ad agendum bene moraliter. Id magis patebit ex sequenti conclusione. (Ibid. art. 2. o.) Non tamè totaliter tollitur per peccatum ista inclinatio ad bonum honestum, quia radicitur in rationalitate: per peccatum autem non potest totaliter tolli ab homine, quòd sit rationalis, alias jam non esset capax peccati.

Si dicas, quòd istud bonum sit finitum; bonum autem finitum totaliter potest consumi, facta continua diminutione, sic fit per peccatum frequenter iteratum: ergo. R. Minorem esse veram dumtaxat, (Ibid. ad 1.) quando diminutio fit ex parte subjecti, seu per subtractionem, non verò quando fit ex parte termini per appositionem impedimenti, ut fit hic, sicut dictum est. Utrum verò homo minores vires ad bonum, & majores ad malum habeat in hoc statu naturæ lapsæ, quam habuisset in statu naturæ puræ; dicemus diù de gratia.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Ex Venerabili Beda convenienter assignantur quatuor vulnera naturæ ex Peccato Originali sequentia, scilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili. Prob. (Ibid.) Tot convenienter assignantur vulnera naturæ, quot sunt potentie per Originale Peccatum destitute: ea inter se colligantur atque subordinatione, qua inferiores subiciebantur supe-

riori, & superior Deo, ex quo erant connaturaliter ordinata ad virtutem; atqui sunt quatuor potentie sic per Peccatum Originale destitute ea subordinatione, atque eo ordine: ergo. Prob. Maj. Sicut in corporalibus vulnus dicitur separatio partium unitarum, sic in spiritualibus vulnus est separatio potentiarum ad invicem unitarum, & subordinatarum in ordine ad virtutem. Prob. Min. Sunt quatuor potentie, quæ possunt esse subiectum virtutis, scilicet ratio, voluntas, irascibilis, & concupiscibilis, ut ex superioribus liquet: ergo.

Itaque (Ibid.) in quantum ratio sic destituitur suo ordine ad verum, ut prona sit ad assentiendum falso, & difficili ad assentiendum vero, priveritque scientia rerum necessariarum, est vulnus ignorantie. In quantum voluntas sic destituitur suo ordine ad bonum, ut sit proclivis ad malum, & difficilis ad bonum eligendum, est vulnus malitiæ. In quantum appetitus irascibilis sic destituitur suo ordine ad arduum, ut sit debilis ad tolleranda adversa, est vulnus infirmitatis. Tandem, in quantum appetitus concupiscibilis destituitur suo ordine ad bonum sensibile, ut sit pronus ad illud concupiscendum contra ordinem rationis, est vulnus concupiscentiæ, sub quo continetur concupiscentia oculorum, & concupiscentia carnis. Hæc autem vulnera toti naturæ per Peccatum Originale inflicta, quotidie invadunt ex peccatis actualibus, in quantum per peccata actualia ratio hebetatur, voluntas induratur ad bonum, major difficultas accrescit ad bona agenda, & mala sustinenda, & concupiscentia magis exardescit. (Ibid.)

Potes, Utrum concupiscentia, seu rebellio appetitus sensitivi, tam irascibilis, quam concupiscibilis, fuisset in statu naturæ puræ? Respondetur communiter affirmative. Quia, cum cuilibet potentie connaturalis sit sua inclinatio in objectum proprium, sicut voluntas, quæ est appetitus rationalis, habet inclinationem in bonum rationis, seu honestum, sic irascibilis habet inclinationem in bonum sensibile arduum, & concupiscibilis in bonum sensibile delectabile secundum sensum; & cum aliunde bonum sensibile arduum, & bonum delectabile secundum sensum, non raro sint difformia recta rationi, non raro etiam contingeret in statu naturæ puræ, quòd homo ex parte tam irascibilis, quam concupiscibilis pateretur motus inordinatos adversus rationem & inclinationes ad actus peccaminosos. Unde S. Thom. in 2. ad 31. q. 1. art. 2. ad tertium dicit: *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sententis, in quo nihil humane naturæ derogaretur.*

Contentionis, cui post Estium non aridet sententia communis, opponit quedam testimonia S. Thom. quibus S. Doctor dicit, quòd concupiscere contra rationem sit contra naturam hominis. Sed Thomistæ communiter hoc S. Thom. dictum intelligunt de natura hominis, prout est instituta a Deo in creatione primi hominis; non de natura, prout potuit a Deo creari scilicet cum iis præcisè, quæ sunt ei naturaliter debita. Potest etiam intelligi, quòd sit contra naturam hominis, ut humana, seu rationalis est, & non ut animalis; neque obstat, quòd repugnet Contentions, rationem ut superiorem sibi vindicare principatum, & inferiorem ei naturaliter subiecti; id enim verum est juxta S. Thom. 1. p. q. 81. art. 3. & 1. 2. q. 17. art. 7. o. *Non de principatu despotico, qui est Domini ad servum, sed de principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio.* Unde concupiscibilis, & irascibilis possunt in statu naturæ resistere imperio rationis. De his latius alibi.

Dico 4. (Ibid. art. 5. o.) Mors, morbi, ceterique defectus corporales, & miserie hujus vitæ sunt effectus Peccati Originalis, non directè, & per se; sed indirectè, & per accidens tantquam removens prohibens; in quantum scilicet per peccatum primi parentis sublata est justitia originalis, per quam non solum potentie inferiores animæ continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed etiam totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu; & idèd subtracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est natura humana quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ut dictum est, ita etiam est effecta corruptibilis per de-

ordinationem ipsius corporis. Homines ergo, si Adam non peccasset, fuissent immortales, & incorruptibiles, non ex principis naturæ, cum constituantur ex contrariis, sed ex dono Creatoris. Conclusio sic intellecta est de fide contra Pelagium, qui inter alios errores dicebat, primos parentes, etsi non peccassent, fuisse mortuos. Traditur passim in Scripturis. Eccl. 25. dicitur: *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes moriuntur*, Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*. C. 6 *Stipendia peccati mors*, C. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum*. Atque ita definitum est in Concil. Milev. Can. 1. & Trid. Sess. 3. Can. 1.

ARTICULUS II.

Utrum ex peccato actuali sequatur macula; & quid sit? D. Thom. Q. 86.

Quod nos dicimus peccatum habituale, Antiqui dicebant maculam; non enim, ut advertunt Auctores, reperitur apud Antiquos hoc complexum, *Peccatum habituale, sed tantum macula*. Esse autem unum & idem peccatum habituale, & maculam, patet; quia esse maculatum, & immundum coram Deo est esse peccatis coquinatum, Deo injuriosum, & offensum, quod est proprius, & formalis effectus peccati habitualis. Hac forte sola ratione differunt, quod peccatum habituale magis explicet offensam Dei, & ex quo importet peccatum actuale, & privationem gratiæ; Macula autem magis explicat turpitudinem peccati, & in recto importat privationem gratiæ, in obliquo peccatum actuale, ut explicabitur.

§. I. Prima difficultate resolvitur.

Dico 1. Ex peccato actuali sequitur macula in anima peccatoris (Hic q. 86. art. 1. o.) Hunc peccati effectum probant Scripturæ, quæ peccatum vocant proprio nomine maculam, ut Josue 22. *Non parum est vobis, quod peccastis in Beelphegor, & usque in presentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet*. Jerem. 2. *Si laveris te niro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*. Ps. 14. *Dominus quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula*. Ps. 118. *Beati immaculati in via*. Eccl. 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula*; & alibi. Item, quæ peccata vocant sordes, immunditias, inquinamenta, ut Isa. 4. *Si obliuerit Dominus sordes filiarum Sion*. Ezech. 14. Jac. 1. Item, quæ justificationem impiorum significant per abluentionem, ut Ps. 50. *Lavabis me, & super nivem dealboris*. Ezech. 36. Zachar. 13. Jerem. 33. 1. Cor. 6. 1. Joann. 1. & alibi.

Ratio suffragatur. (Ibid.) Macula in spiritualibus dicitur ad instar maculæ in corporalibus. Sicut ergo corpus nudum dicitur maculari propriè, dum ex contactu alterius corporis nitorem suum perdit, ut dum vestis oleo inficitur; sic anima dicitur metaphoricè maculari, dum ex inordinato ad creaturas affectu, qui est quidam ejus tactus, amittit nitorem, quem habebat ex refulgentia luminis tum rationis, cum gratiæ: unaquæque res enim sicut ex unione ad nobiliora perficitur, ita admixtione cum inferioribus deturpatur, & vilescit: sic argentum ex admixtione auri fit melius, ex admixtione stanni deterioratur, & fit impurum. Confirmatur: (Ibid. ad 1.) In hoc differet intellectus a voluntate, quod actus intellectus fiat per hoc, quod res intelligibiles sint in intellectu per modum ipsius intellectus, & ideo intellectus ex eis non inficitur, sed magis perficitur: actus autem voluntatis consistit in motu ad res ipsas, ita quod amor rei amatæ animam conglutinat, & ex hoc anima, quando inordinatè heret, maculatur, juxta illud Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea que dilexerunt*.

Dico 2. Macula remanet in anima post actum peccati. (Ibid. art. 2. o.) Prob. 1. ex locis Script. citatis in 1. Conclusionè. 2. Ratione. (Ibid.) Homo incurrit maculam peccati per recessum a lumine rationis, & divinæ legis: ergo, quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati. Subsumo; atqui, etsi cesset actus peccati, quo homo discessit a lumine rationis, & divinæ legis, non tamen statim redit ad illud, in quo fuerat, sed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui: sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit et propinquus, sed oportet, quod appropinquet rediens per motum contrarium: ergo. Confirmatur. Post actum peccati homo verè denominatur, & remanet peccator. Math. 9. *Publicani, & peccatores venientes discumbant cum ipso*. Luc. 7. *Mulier que erat in civitate peccatrix*: ergo aliquid in eo manet, quo talis denominetur: alioquin denominaretur peccator denominatione tantum extrinseca, quod modo impugnabimus: ergo.

Dices: Juxta S. Thom. hic ad 3. macula comparatur umbræ; atqui umbra transit transeunte corpore, a quo causaba-

tur: ergo. R. Similitudinem non esse in omnibus. In hoc ergo est similitudo, quod tam macula, quam umbra importat privationem causatam ex aliquo. In hoc autem est disparitas, quod, remoto corpore opaco umbram causante, corpus illuminabile remanet in eadem habitudine, & propinquitate ad corpus illuminans, in qua erat antè umbram, & idè statim ac umbra desit, illuminatur; at homo post actum peccati non remanet in eadem habitudine & propinquitate ad Deum, in qua erat antè peccatum, sed est elongatus ab eo, & idè non statim, ac desinit actus peccati, desinit macula.

§. II. Secunda difficultate resolvitur.

Dico 1. Macula peccati non est reatus pœnæ, ut voluit Scotus, & Durandus; neque denominatio purè extrinseca ab actuali peccato præterito, ut vult Vasquez; neque positivus habitus, aut dispositio inclinans in bonum commutabile, ut voluit Martínez, Nunno, & alii.

Prob. 1. pars. Reatus pœnæ sumitur vel pro ordinatione sive activa, sive passiva ad pœnam, vel pro condignitate pœnæ; atqui neutrum est macula; non primum, quia 1. ista ordinatio ad pœnam, sive activa, sive passiva, est a Deo; bonum est enim justitiæ peccatore puniri, macula autem non est a Deo. 2. Quia, si Deus statuisset nullam pœnam inferre peccatis, esset adhuc macula. 3. Quia damna peccando contrahunt novas maculas, & tamen non ordinantur ad novas pœnas. 4. Tandem, quia deleta & remissa culpa, remanet adhuc ordinatio ad pœnam, scilicet temporalem. Non secundum, quia condignitas pœnæ est proprietatis consequens culpam, sicut condignitas præmi est proprietatis consequens bonum opus: ergo non est essentialitèr culpa. Et hinc 2. non idè quis est peccator, quia est dignus pœna, sed e contra est dignus pœna, quia est peccator: ergo. Contra hanc Scoti & Durandi Sententiam multis videtur militare condemnatio sequentium propositionum. Prima est: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam*. Est 56. inter Balthas. Secunda: *Undè in Sacramento Baptismi, aut Sacramenti absolutione, propriè reatus peccati dimittitur, et Ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu*. Est 57.

Prob. 2. pars: 1. Peccatum habituale originale non est denominatio extrinseca a peccato actuali Ade, sed est unicuique intrinsecum, ut probavimus Dissert. præced. ergo nec peccatum habituale personale est denominatio extrinseca a peccato actuali personali. 2. Denominatio permanens supponit formam, denominantem permanentem; debet enim esse proportio inter denominationem, & formam denominantem, cum denominatio sit effectus formalis formæ denominantis: undè partes, qui denominabatur visus, dum subsisteret visio, cessante visione; non denominatur amplius visus; atqui homo, qui peccavit, denominatur permanentèr peccator, ut diximus supra: ergo. 3. Homo non denominatur justus ab actu bono, qui transit, sed a forma intrinseca, scilicet gratia: ergo non denominatur peccator, & injustus ab actu malo præterito, sed a privatione istius formæ, qua constituitur justus, ut mox amplius patebit: ergo. Hinc inferes contra Henno, & quosdam Recentiores, maculam peccati non esse peccatum actuale præteritum moralitèr perseverans, donè retractetur; tum quia hoc nihil aliud est, quam denominatio extrinseca; tum quia, si Deus non vellet peccantibus peccatum remittere, manet macula, & tamen peccatum præteritum non perseveraret moralitèr, upotè retractatum.

Prob. 3. pars. (In 4. d. 18. q. art. 2.) Dispositio, & habitus possunt destrui sine gratia per contrariam consuetudinem, ut dum quis ex prodigio fit avarus; atqui peccati macula non potest auferri sine gratia: ergo 2. Per justificationem tollitur macula, & tamen non tolluntur semper saltè omnino prave dispositiones, & habitus: ergo. Tota hæc Conclusio quoad omnes suas partes roboratur, & absolutè prob. ex sequenti. Undè

Dico 2. (Hic q. 86. art. 1. o. & ad 3. in 2. d. 32. q. 2. art. 1. o. d. 42. q. 1. art. 2. ad 4. & alibi.) Macula peccati mortalis est privatio nitore gratiæ, seu quod idem est, ipsiusmet gratiæ, connotatus peccatum actuale præcedens, a quo causatur. Dixi 1. *Peccati mortalis*: quia cum S. Thom. hic q. 86. art. 1. o. distinguit duplicem nitorem in anima, unum ex refulgentia naturalis luminis rationis, alterum ex refulgentia divini luminis gratiæ; si loquamur de peccato, proit abstrahit a mortali & veniali, macula ejus est privatio rectitudinis, honestatis, & conformitatis ad legem. De peccato ergo mortali currit præsens Conclusio, de veniali sequens. Dixi 2. *Nitore gratiæ, vel ipsiusmet gratiæ*, scilicet sanctificantis: quia per nitorem gratiæ nihil aliud intelligitur, quam hominem esse justum, & gratum Deo, quod cum sit effectus formalis gratiæ, & effectus formalis sit ipsa forma communicata, unum, & idem sunt nitore gratiæ, & ipsa gratia.

Prob.

Prob. 1. pars: 1. In eo consistit peccati macula, seu peccatum habituale, sub primò per se expellitur per justificationem, est enim justificatio remissio peccatorum; atqui privatio gratiæ sanctificantis est id, quod primò expellitur per justificationem: *Non enim potest intelligi remissio culpe sine infusione gratiæ*, ut docet Auctor infra q. 113. art. 2. & ut dicit Trid. sess. 6. c. 7. gratia est unica causa formalis justificationis nostræ: ergo. 2. Per id homo constituitur habitualitèr peccator, & injustus, per cujus oppositum constituitur habitualitèr justus; atqui homo constituitur habitualitèr justus per gratiam sanctificantem: ergo per ejus privationem constituitur habitualitèr injustus, & peccator. 3. Prob. Ex refutatione aliarum opinionum. Macula peccati non consistit in reatu pœnæ, neque in denominatione extrinseca peita a peccato actuali, neque in ipso peccato actuali moralitèr perseverante, neque in positiva dispositione, aut habitu: ergo in privatione gratiæ. Patet Consequentia; quia nihil aliud est assignabile.

Prob. 2. pars: 1. Ut illa macula habeat rationem culpæ, debet esse moralis, & voluntaria: ergo debet connotare actum voluntatis, a quo causatur. 2. (Hic art. 1. ad 3. in 2. d. 32. q. 1. art. 1. ad 2.) Si macula consisteret in privatione gratiæ sanctificantis sine respectu ad peccatum actuale, a quo causatur, cum privatio hujusmodi gratiæ sit unica, indivisibilis, & ejusdem speciei in omnibus, non posset explicari, quomodo maculae sint plures, diversæ, & inæquales. Posito autem quod consistat macula in privatione gratiæ cum respectu ad peccatum actuale, a quo causatur, & peccata actualia sint plura, diversa, & inæqualia, optimè explicatur, quomodo maculae sint plures, diversæ, & inæquales. Exemplum ponit hic Auctor in umbra, quæ est privatio lucis ex objecto alicujus corporis. Diversificantur autem umbræ secundum diversitatem corporum objectorum.

Dico 3. Macula peccati venialis est privatio fervoris charitatis ex peccatis actualibus.

Hanc conclusionem exponit, & explicat S. Thom. in 4. d. 16. q. 2. art. 2. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod macula potest esse duplicitèr; uno modo per privationem pulchritudinis, & sic in veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, que est anima decor. Alio modo per hoc, quod pulchritudo, que est gratia, impeditur ne exterius appareat, sicut per pulchrem pulchritudo faciei fidatur; & talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratiæ, ne in actibus exterioribus ostendatur*. Undè macula peccati venialis non est macula propriè, & simpliciter, sed tantum secundum quid, quia non tollit formam, per quam inest animæ pulchritudo, scilicet gratiam, sed tantum obnubilat, & tegit, ut minus splendet in actibus; sicut facies venusta ex pulvere non nihil sordescit, non tamen ejus pulchritudo destruitur. (Hic q. 89. art. 1. o.)

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Qui offendit Principem, aut alium privatum, transacto actu, nihil remanet in illo nisi debitu pœnæ hændæ, & damni reparandi: ergo similiter in eo, qui offendit Deum. R. omissio Antecedente, N. Conseq. Disparitas est, quod amicitia Principis, aut alterius privati nihil ponat intrinsecum in eo, quem diligit; at amicitia Dei ponit in eo, quem diligit, gratiam, & charitatem, qua privatur per peccatum, & qua privatione amittit nitorem, & maculatur. Omissi Ant. quia posset negari; manet enim in illo, qui offendit Principem, aut alium, privatio non solum rectitudinis, sed & subordinationis sive ad Principem, sive partium inter se.

Inst. In justo post actum meritorem nihil remanet nisi condignitas pœniæ: ergo post peccatum nihil remanet nisi condignitas pœnæ. R. N. Ans. Per actum enim meritorem aucta gratia in justo magis intenditur nitor, & pulchritudo animæ. Cæterum huic argumento directè contradicit damnatio duarum propositionum, de quibus in probatione conclusionis primæ.

Obj. 2. Transacto actu peccati, remanet in peccatore, non solum aversio a Deo, sed etiam conversio ad bonum commutabile ut in ultimum finem; atqui ista conversio haberi non potest nisi per habitum inclinantem positivè voluntatem: ergo. R. N. Min. Ad istam enim conversionem sufficit inclinatio ipsiusmet voluntatis. Cum enim finis ultimus peccatoris sit bonum proprium, & voluntas ex se sit sufficienter completa, proportionata, & inclinata in bonum proprium, non indiget habitu, ut in illud inclinetur, ut probavimus supra de Virtutibus art. 2. §. 2.

Inst. Voluntas eadem est sub gratia, & sub peccato; atqui sub gratia non est conversa ex se ad bonum proprium ut ultimum finem: ergo nec sub peccato. R. D. Maj. Voluntas sub gratia, & sub peccato eadem est physicè, C. Moralitèr, N. Vel eadem est quantum ad id, quod importat in recto, C. Theol. Billuart. Pars Secunda.

Quantum ad id, quod importat in obliquo, & de connotato, N. Igitur voluntas sub gratia conversa est ad bonum proprium ut referibile in Deum tanquam in ultimum finem, & sic bonum proprium non est ejus finis ultimus; sub peccato autem sic conversa est in bonum proprium, ut connotet similit gratiæ privationem, per quam istud bonum proprium fit irreferibile in Deum, idèquæ habet rationem ultimi finis. Totum itaq; positivum, quod est in tali conversione, est a voluntate inclinata in suum proprium bonum; tota autem perversitas istius conversionis est a privatione charitatis, & gratiæ, impediende relationem istius boni in Deum, & cogente sistere in ipso, ut in fine ultimo.

Obj. 3. Si homo conditus in puris naturalibus peccaret, contraheret maculam; atqui ista macula non foret privatio gratiæ sanctificantis, cum in isto statu non esset gratia sanctificans: ergo. R. D. Min. Ista macula non foret privatio gratiæ per accidens, C. Per se, N. Itaque, quantum peccatum commissum in natura pura non excluderet per accidens gratiam, quia scilicet illam non reperiret, esset tamen, quantum est ex se, illius exclusiva, ita ut reverà illam excluderet, si illam reperiret in subjecto. Sicut ergo, quamvis in peccatore macula secundi peccati per accidens non excludat gratiam, quia jam supponit exclusam per primum peccatum; quia tamen ex se nata est illam excludere, atque novum obstaculum apponit, idè dicitur privatio gratiæ; ita in nostro casu. Et juxta hanc solutionem intelligitur, quod aliunde posset opponi secundum alias solutiones, quomodo macula peccati, v. gr. furti, in statu nature pure, & nature lapsæ commissi, est ejusdem rationis, eo scilicet modo, quo macula secundi furti, in hoc statu commissi, est ejusdem rationis cum macula primi furti in hoc eodem statu commissi; quia nempe utraque est ex se destructiva gratiæ, quamvis secunda non destruat, quia eam non reperit in subjecto.

Inst. Privatio gratiæ est pœna a Deo inflicta: ergo non est peccati macula. R. D. Ant. Privatio gratiæ physicè sumpta est pœna, C. Ant. Moralitèr sumpta, & ut voluntaria ex actu peccati, N. Ans. Solutio patet ex dictis de essentia Peccati Originalis. Require ibi.

Potest insuper opponi ab inconvenientibus: quod, si macula consistat in privatione gratiæ, cum hæc sit una, & indivisibilis, sequeretur, quod in eodem homine iterato peccatore non posset esse plures, & diversæ maculæ, quod una non esset major altera, & quod secundum peccatum non induceret novam maculam, sed hæc præoccupata sunt in probatione 2. partis conclusionis; nimirum, quia macula non dicit solum privationem gratiæ, sed cum respectu ad peccatum actuale, a quo causatur. Cum ergo peccata moralia actualia sint plura, diversa, & inæqualia, sequitur, quod maculæ sint plures, diversæ, & inæquales: et quamvis, supposita privatione gratiæ per primum peccatum, secundum non inducat de facto privationem gratiæ, quia tamen est ex se destructiva gratiæ, si reperiret in subjecto, & apponit ei novum obstaculum; idè dicitur verè privatio gratiæ, & macula.

ARTICULUS III.

De reatu pœnæ. D. Th. Q. 87.

An sit; & quid sit Reatus pœnæ?

Petes 1. Utrum Peccatum inducat Reatum pœnæ? R. affirmativè. (Hic q. 87. art. 1. o.) Ita expressè Scriptura in variis locis: Exod. 32. *Percussit Dominus populum pro reatu vituli*: Ps. 51. *Multa flagella peccatoris*. Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*: Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*: Rom. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*: & alibi.

Prob. Ratione. 1. (Ibid. art. 6. o.) Recta ratio postulat, ut qui violavit ordinem, & æqualitatem justitiæ, illam redintegret, & restauret per quandam recompensationem pœnæ, quod in ipsis injuriis hominibus factis observatur; atqui, qui peccat, violat ordinem, & inæqualitatem justitiæ divinæ, voluntati suæ indulgendo plusquam debet, contra mandatum Dei agens: ergo. 2. (Ibid. art. 1. o.) Quidquid contra aliquem ordinem incurrit, dignum est, ut ab eo ordine, vel ordinis Principe deprimatur, & detrimentum patiatur. Hinc videmus in naturalibus, quod nunc contrarium ab altero contrario obsessum vehementitèr, & fortius agit, ut adversarij impetum frangat; undè in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit; atqui, quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; peccatum enim est actus inordinatus: ergo dignus est, quod ab eodem ordine, vel ordinis Principe deprimatur; quæ depressio est pœna.

Undè secundum tres (Ibid.) ordines, quibus subditur hu-

mana voluntas, & quos peccando transgreditur, triplici poena potest homo puniri. 1. Namque subditur humana voluntas ordini exteriori hominis gubernantis, vel spiritaliter, vel temporaliter. 3. Subditur universali ordini divini regimini. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille, qui peccat, agit, & contra rationem, & contra Legem humanam, & contra Legem divinam. Ideo triplicem poenam incurrit, unam quidem a se ipso, quae est conscientiae remorsus, aliam ab homine, tertiam a Deo.

Petes 2. Quid sit Reatus poenae? R. Reatus poenae non est ordinatio, sive activa, sive passiva, ad poenam; sed est condignitas, seu debitum poenae propter peccatum luenda. Tum quia peccatum prius est dignum poena, quam ordinatur ad illam, imo non ordinatur ad illam, nisi quia est illa dignum: sicut actus virtutis est prius dignus premio, quam ordinetur ad illud, nec ad premium ordinatur, nisi quia est illo dignus. Tum quia, etsi Deus peccatorem non ordinaret ad poenam, nihilominus peccator esset poena dignus. Tum tandem, quia ordinatio ad poenam est bona, & a Deo, Deus autem neminem facit reum poenae.

Petes 3. Quid sit ista conglignitas, seu debitum poenae, an aliquid absolutum, an relativum? Respondet Gonet post Salmanticenses, esse aliquid absolutum, virtualiter tantum distinctum a peccato habituali, nempe conceptum ejus secundarium; quatenus conceptus primarius peccati habitualis sumitur per ordinem ad gratiam, qua privat, & ad peccatum actuale, a quo causatur. Secundarius per ordinem ad poenam, qui est reatus.

Respondent alii, etiam Thomistae, esse relationem, non realem, sed rationis; quia poena, quae est ejus terminus, saepe non existit: relatio autem realis existit terminum actu existentem.

Sed dices: Peccator denominatur realiter poenae dignus, denominatio autem realis provenit a forma reali. Item antecedenter ad operationem intellectus, per quam formatur relatio rationis, peccator est poena dignus. R. ad utrumque, peccatorem esse, & denominari realiter poena dignum ante operationem intellectus, ratione fundamenti, scilicet peccati actualis, & habitualis, sicut Deus est, & denominatur Dominus realiter ratione domitii, quod est fundamentum relationis rationis Domini. Utraque sententia est probabilis, sed levis momenti.

Petes 4. Utrum reatus poenae maneat post peccatum sive actuale, sive habituale, remissum? R. 1. Cessante actu peccati remanet reatus poenae. Prob. 1. Ex Scripturis citatis in Resp. ad 1. petitionem; (*Ibid. art. 6. o.*) procedunt enim non solum de reatu, qui committitur peccatum actuale, dum committitur, sed etiam de reatu, qui post illud commissum remanet. 2. Ratione ibidem insinuat: Peccatum actuale inducit reatum poenae, in quantum peccator per illud transgreditur ordinem divinae justitiae: ergo tandiu remanet reatus, quamdiu remanet illa transgressio, & perversitas ordinis. Subsumo; atqui cessante peccato actuali, illa transgressio, & perversitas ordinis remanet, donec peccator ad eum ordinem redeat per quandam recompensationem poenae, quae ad aequalitatem justitiae reducit, ut scilicet qui plus voluntati suae indulset, quam debuit, contra mandatum Dei agens aliquid, secundum ordinem divinae justitiae, contra illud, quod vellet, spontaneus, vel invitatus patiat. R. 2. (*Ibid.*) deleta macula, seu remisso peccato, potest remanere reatus alicujus poenae temporalis. Est contra Lutheranos, & Calvinistas, dogmatizantes semper cum culpa totam remitti poenam, & inde tollentes Indulgentias, satisfactiones, & Purgatorium.

Dixi: *Potes remanere*; quia non est necesse, quod remaneat, posset enim Deus omnem poenam cum culpa remittere, sed ordinari remittendo culpam, & constituendo per gratiam hominem haereditate gloriae, remittit tantum poenam aeternam, eamque commutat in temporalem satisfactoriam. Ita fieri aperte, testatur Scriptura. Nam ipse Adam, cui constat Sap. 10. culpam fuisse remissam, varias tamen poenas luit, non ut medicinales contra peccata futura, ut voluit Haereticus, sed in vindictam culpae praeteritae: dicitur enim Gen. 3. *Quia audisti vocem uxoris tuae, & comediti de ligno, ex quo praeciperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedet ex ea, &c.* Insuper mors, & miseria hujus vitae sunt poenae Peccati Originalis, quibus tamen sunt obnoxii hi, quibus remissum est. Item David. 2. Reg. 12. post obrentam veniam sui adulterii punitus fuit morte filii sui, non in cautelam futuri, sed in ultionem praeteriti; dicit enim ei Nathan: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini: propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur.* Ita pluries alibi; & sic definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. & Can. 30. sess. 14. cap. 8. & Can. 22. De quo plura in 3. p. ad 86.

Petes 5. Utrum unum peccatum possit esse poena alterius

peccati? R. 1. (*Ibid. art. 2. o.*) Certum est, unum peccatum posse esse alicujus poenam alterius peccati. Nam Apost. & SS. Patres saepe docent, hominem per praecedentia peccata mereri, ut Deus permittat ipsum labi in alia peccata. Sic Apost. Rom. 1. *Propter quod* (scilicet ingratitude Gentilium) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam.* Et infra *Propterea tradidit illos Deus in passionem ignominiae.* Et iterum *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.* Item 2. Thess. 2. Legendi sunt hac de re Aug. 5. contr. Juli. cap. 3. & in Ps. 57. Greg. 1. 25. moral. cap. 12. & hom. 11. super Ezech. & alii. R. 2. Peccatum per se, & secundum rationem formalem peccati non potest esse poena alterius peccati. (*Ibid. & 2. quest. 30. art. 1. ad 1. & quest. 36. art. 2. ad 4.*)

Prob. 1. Peccatum per se consideratur secundum quod egreditur a voluntate; sic enim habet rationem culpae; atque de ratione poenae est, quod sit contra voluntatem: ergo. (*Ibid.*)

Dices: Maceratio, quam vir penitens sponte suscipit, est poena, cum sit satisfactoria; atqui non est contra inclinationem voluntatis: ergo. R. D. Min. (*Q. de malo art. 4.*) Non est contra inclinationem actualem, aut habituale voluntatis, C. Non est contra inclinationem naturalem, N. Quandoque igitur poena repugnat voluntati actuali, ut dum quis scienter patitur, quod pati non vult. Quandoque est contra voluntatem habituale tantum, ut cum ignorantia subtrahitur aliquid bonum, de quo doleret, si sciret. Interdum autem poena solum est contra inclinationem naturalem voluntatis, ut natura est. Sic Christi passio, quae erat ipsi voluntaria secundum inclinationem actualem voluntatis ut ratio est, erat poena, quia erat contra inclinationem naturalem voluntatis, ut natura est.

Si reponas: Peccatum est contra inclinationem naturalem voluntatis; est enim contra naturam hominis, ut dictum est supra, & tamen non est poena. R. D. Ant. Est contra inclinationem naturalem hominis, ut ratio est, C. Ut natura est, & qua propendit in bonum suppositi, N. Habetur enim in peccato aliquid utile, aut delectabile, quod parti sensitivae, & ipsi supposito conveniens est.

Prob. 2. Omnis poena, qua talis, est 1. actus justitiae vindictivae: 2. est secundum rationem: 3. est a Deo; atque peccatum formaliter sumptum non est actus justitiae, neque est secundum rectam rationem, neque est a Deo, cum actus injustus sit inordinatus, & contra Deum: ergo.

Dices, haec quidem esse vera de peccato active sumpto, & proit est a voluntate; non de peccato passive sumpto, & proit recipitur in voluntate. Sed contra 1. Peccatum etiam passive sumptum est injustum, & inordinatum, si quidem reddat voluntatem, quam afficit, formaliter injustam, & inordinatam. 2. In actu immanenti, qualis est peccatum, non datur passio praedicamentalis distincta ab actione, sed eadem qualitas, proit egreditur a voluntate, dicitur actio, & proit eam informat, dicitur passio. 3. Voluntas peccatum recipiendo fit deterior: sed nemo Deo auctore fit deterior, ut dicit Aug. Q. 3. & 4. inter QQ. 83.

Si reponas, peccatum habituale, sive personale, sive originale, sub diversa ratione esse simili culpa, & poena, ut diximus supra: quidni idem de peccato actuali? R. Disparitatem esse, quod privato rectitudinis, quae est in peccato actuali, afficiat tantum actum in ordine ad legem, quam transgreditur, & sic est mala dumtaxat respectu ipsius actus, quod solum perinet ad genus culpae; sed privato gratiae in peccato habituali afficit ipsum suppositum tollens ab eo formam, qua perferretur, in se & ad se, quod genus mali est poena. R. 3. (*Hic art. 2. o.*) Unum peccatum est poena alterius per accidens, & ratione adjunctorum, 1. Ratione antecedentis, scilicet auxilii gratiae, quod Deus quandoque in poenam praecedentium peccatorum subtrahit, & quo peccator destituitur ex propria fragilitate, vel pravitate labitur in peccatum. 2. Ratione concomitantium, quales sunt ex parte animi afflictio, modestia, anxietas, perturbatio, &c. Ex parte corporis labores, expense, & alia incommoda, quae quis quandoque sustinere debet, ut suas cupiditates expleat. 3. Ratione consequentium, ut sunt remorsus conscientiae, infamia, morbi, paupertas, & alia dispendia, quae saepe peccatum consequuntur; & sunt poena peccati.

ARTICULUS IV.

Qualis poena reatum inducit Peccatum?

Poenae, stricte sumpta, ut partim ex superioribus constat, potest definiti: *Malum punitivum, & afflictivum, inflictum contra voluntatem passi in vindictam sui peccati.* Dicitur *Malum punitivum, & afflictivum*; quia de ratione poenae est, quod noceat patienti in se ipso, sive quod patientem molestia, & incommodo afficiat. Dicitur: *Contra voluntatem passi*; quia, ut jam vi-

vidimus, de ratione poenae est, quod sit contra aliquam voluntatem passi, sive actualem, sive habituale, sive naturalem: alterum enim istorum sufficit; eo tamen magis proprie rationem poenae habet, quod magis repugnat voluntati. Dicitur: *In vindictam sui peccati*; quia, si infligitur in vindictam alieni peccati, seu ut medicinalis in cautelam futuri, non erit stricte, & simpliciter poena, sed vel cum addito, *aliena*, vel secundum rationem communem poenae, aut mali poenalis. (1. p. q. 48. art. 5.) Et quia est duplex malum, positivum, & privativum, duplex est poena: una positiva, quae vocatur poena sensus, quia cum torqueat inferendo aliquid disconveniēti, & nocivum sive animae, sive corpori, & nocivum positive afflictivum maxime sensibus percipitur, ideò haec poena, sive animum, sive corpus spectet, dicitur poena sensus. Altera est privativa, & vocatur poena damni, per quam intelligitur amissio bonorum, quae hominibus ex Dei promissione debentur; inter quae cum emineat visio beatifica, & intuitiva Dei, hujus privato vocatur antonomastice poena damni.

§. I. Quotplex, & quanta sit poena peccati?

Dico 1. (*Hic a. 4. o.*) Quodlibet peccatum mortale personale inducit reatum duplicis poenae, scilicet damni, & sensus. De peccato originali dicam infra. Conclusio quoad utramque partem est de fide, expressa in sententia a Christo in ultimo iudicio ferenda, his verbis Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Discedite, exprimit poenam damni; in ignem aeternum, poenam sensus. Idem probant varii alii textus, quibus docemur homines ob peccatum, & privati Regno Coelorum, ut 1. Cor. 6. Matth. 3. &c. & tradi in supplicium ignis. Isai. 66. Apoc. 14. & alibi.

Ratio congrua: (*Ibid.*) Poena proportionatur peccato; in peccato autem duo sunt, nempe aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum, juxta illud Jerem. *Duo mala fecit populus meus: Dereliquerunt me fontem vitum, & forderunt sibi cisternas dissipatas.* Ut ergo poena sit proportionata peccato, debet esse aliquid, quod respondeat aversioni, & est poena damni; & aliquid, quod respondeat conversioni, & est poena sensus. Aequum namque est, ut, qui se a Deo voluntarie averit, ab eo maneat separatus; & qui ad creaturam se converterit ex ea quaerens gloriam, aut delectationem, per eam affligatur, ut sit & hoc sensu verum illud Sap. 11. *Per quae quis peccat, per haec & punitur.* Haec autem ratio Auctoris non sic est intelligenda, quasi aversio sola poenam damni puniat, & conversio sola poena sensus: cum enim aversio non minus quam conversio sit voluntaria voluntate propria (ob quam rationem secundum D. Thom. debetur poena sensus), & conversio non sit conversio qualiscunque, sed aversiva, revera utraque tam aversio, quam conversio punitur utraque poena damni, & sensus: sed est intelligenda per appropriationem, ita ut, licet tam aversioni, quam conversioni debeat utraque poena, attamen propter rationem dictam in probatione poenam damni appropriatur aversioni, & poena sensus conversioni, sicuti diximus in Tract. de Trinit. Dissert. procem. art. 3. quaedam attributa appropriari certis personis, quae tamen omnibus sunt communia. Sic Potentia tribuitur Patri, Sapientia Filio, Amor Spiritui S.; haec tamen attributa sunt tribus personis communia.

Dico 2. (*Ibid. & suppl. q. 99. art. 1.*) Utraque poena damni, & sensus est finita simpliciter, & intrinsece; poena tamen damni potest dici infinita secundum quid.

Prob. 1. pars de poena damni. Quantitas privationis desumitur ex quantitate formae, qua privat; quia privata, qua privat poena damni, non est infinita simpliciter, non enim est Deus in seipso, sed ipsa Dei visio, & participatio, quae est finita. Quantum autem ad dolorem, seu tristitiam, quae sequitur hanc privationem, est etiam finita simpliciter; quia nullum accidens creatum est infinitum, nec ulla creatura est capax accidentis infiniti: quae rationes probant pariter, poenam sensus esse finitam. Adde, quod poena sensus sit actio ignis, quae est finita. Confirmatur de utraque poena. Si poena tam damni, quam sensus esset simpliciter infinita, sequeretur, quod omnium mortalium peccatorum poenae essent aequales, cum infinito non detur majus. Falsum Consequitur ergo.

Prob. 2. pars. Licet poena damni sit immediate privatio boni finiti, scilicet visionis beatificae, ut dictum est, mediate tamen est privatio boni infiniti, nempe Dei: ergo ex hac parte potest dici infinita secundum quid, seu objective, & extrinsece. Hoc autem sensu intelligendum est S. Thom. dum hic dicit poenam damni esse infinitam, patet tum ex ratione, quam ibidem affert, scilicet aversionem a Deo esse infinitam; quod intelligi non potest de infinitate intrinseca, & simpliciter dicta, sed de infinitate secundum quid, objective, & extrinsece: sicut actus charitatis v. gr. dicitur infinitus objective; tum quia in Suppl. q. 99. a. 1. dicit expressè: *Quod non possit esse infinita omnia per intensionem.* Theol. Belinart. Part. Secunda.

nem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitae. Idem opusc. 2. cap. 183.

Dices: Poena debet proportionari culpae, ita ut culpae infinite correspondeat poena infinita; atque peccatum mortale, licet in ratione deordinationis, & malitiae sit gravitatis simpliciter finitae, est tamen in ratione offensae gravitatis simpliciter infinitae, ut dicens Dissert. seq. ergo debetur illi poena infinita. R. Hoc argumento tantum probari peccato deberi poenam infinitam, si esset possibilis, non tamen de facto infligi, quia non est possibilis. Et ita quidem sentire videtur S. Thom. tum opusc. 2. c. 183. tum in 2. d. 46. q. 1. art. 3. quae est supplem. q. 99. a. 1. mox cit. ubi ad probandum peccato mortali deberi poenam aeternam, sic discurrit ultimo loco: *Potes & alia ratio assignari, quare poena peccati mortalis sit aeterna, quia per illud circa Deum, quae est infinita, peccatur. Unde, cum non possit esse poena infinita per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitae, requiritur, quod sit saltem duratio infinita.* Neque id est contra Conclusionem nostram, in qua loquimur de poena, quae de facto inest, non de ea, quae jure debetur.

Respondent nihilominus Salmanticenses apud Gonet, poenam non deberi peccato ratione offensae, sed ratione inordinationis moralis, seu malitiae: offensae autem deberi tantum satisfactionem, ut docet ipse S. Doctor loc. cit. in 4. seu suppl. ad 6. ubi dicit: *Poenae proprie loquendo respondet culpa secundum inordinationem, quae in ipsa invenitur, non vero secundum dignitatem ejus, in quem peccatur, quia sic cuilibet peccato reddatur poena infinita intensione.* Unde ex hoc quod peccatum in ratione offensae sit infinitum simpliciter, non sequitur, quod debeat ipsi poena simpliciter infinita, sed tantum satisfactio infiniti valoris, quam solus homo Deus potuit exhibere, Verum non facile conciliatur haec solutio cum doctrina Auctoris in prima solutione; in utroque enim loco ibi citato, & praesertim opusc. 2. loquitur S. Doctor de peccato in ratione offensae, ut legenti patet, & dicit ei deberi aequaliter poenam infinitam; quod directe videtur pugnare cum resp. ad 6. cit. in hac 2. solutione.

Ad quorum conciliationem duo mihi occurrunt. Primum, S. Thom. dum dicit opusc. 2. & in 2. poenam infinitam deberi peccato, non loqui propria, sed aliorum sententia; quod existimo posse colligi ex loco cit. in 2. seu suppl. postquam enim ibi protulit suam rationem, cur poena peccati sit aeterna, subiungit: *Invenitur ut etiam alia ratione a Sanctis assignatur, quare justè pro peccato temporali aliqua poena aeterna puniatur:* & inter istas rationes a Sanctis assignatas 3. loco refert cam, de qua agitur, scilicet quia peccato debita est poena infinita, quae non est possibilis. Vel, si loquatur ex propria sententia, dicendum, quod, cum locis citatis dicit peccato ratione offensae deberi poenam infinitam, non intelligit, quod poena per se debeat offensae, cum contrarium expressè doceat in Resp. cit. ad 6. ejusdem art. sed per accidens, quia homo non potest aliter Deo satisfacere, quam per poenam; advertit enim ibidem laudatus Gonet, quod, licet offensae per se respondeat satisfactio, contingit tamen per accidens ei satisfacere per poenam, vel quia saepissime accidit, quod eadem res sit poenalis, & satisfactoria, vel quia offensam putat sibi sufficienter esse satisfactum, si offensam idem patiat, quod ipse passus est; vel quia, debitore non valente aliter satisfacere, expostulat offensam poenam loco satisfactionis. Juxta hanc 2. interpretationem conciliantur quidam textus S. Thom. apparenter contrarii; sed remanet poenam infinitam deberi saltem per accidens peccato. Unde is, cui 1. interpretatio non aridet, haeret 1. solutioni.

Petes 1. An dolor ex amissa beatitudine sit poena sensus, vel damni? R. Cum iisdem Salmantic. non esse proprie poenam, sed supponere poenam, a qua causatur; reductive autem pertinere ad poenam damni, ex qua resultat, sicut gaudium reducit ad beatitudinem, ex qua consurgit.

Petes 2. Quae poena sit gravior, an damni, an sensus? R. Poenam damni esse graviolem; quia est quasi essentialis, & opponitur visioni beatificae; quae primam locum tenet in beatitudine; poena autem sensus est quasi accidentalis, & beatitudinem accidentalem opponitur.

Petes 3. Utrum poena damni sit aequalis in omnibus damnatis? R. Negative; 1. Quia sic se habet poena damni in ratione supplicii ad damnatos, sicut visio beatifica, cujus est privatio in ratione praemii ad Beatos; atque haec non est aequalis in omnibus Beatis: ergo nec illa in omnibus damnatis. 2. Unus damnatus magis dolet de amissa beatitudine, quam alter: ergo amissio beatitudinis est illi majus malum, quam alteri.

Dices: Juxta S. Thom. supra q. 73. art. 1. privatio totalis, & in facto esse non admittit magis, & minus; atque poena damni est privatio totalis, & in facto esse: ergo. R. D. Maj. Privatio totalis, & in facto esse non admittit magis, & minus extensive, C. Intensive, N. Itaque, sicut forma, v. gr. scientia, potest suscipere magis, & minus dupliciter, vel per extensionem ad plura objecta, vel per majorem intensionem, & radicationem in

subjecto circa eandem conclusionem; ita privatio potest suscipere magis, & minus dupliciter: 1. quasi extensive, auferendo plus de forma; & hoc modo privatio beatitudinis non suscipit magis, & minus: 2. modo quasi intensive, quatenus apponendo formam majora obstacula, magis radicatur, & firmatur in subiecto; & hoc modo dicimus privationem beatitudinis suscipere magis, & minus: ex multiplicatione enim, & majori gravitate peccatorum, quae sunt beatitudinis obstacula, ejus privatio magis radicatur, & firmatur in peccatore.

Si reponas, S. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. ad 1. dicere *causam visionis divinae non suscipere magis, & minus*. R. S. Doctorem loqui de carentia visionis divinae in parvulis sine Baptismo morientibus, in quibus, cum sit culpa aequalis, etiam damnatio est aequalis.

§. II. Utrum aliquod peccatum inducat reatum poenae aeternae?

Circa hanc quaestionem varii varie errarunt. (Suppl. q. 99. a. 2. 3. 4. & 5. o.) Origenes l. 1. Patriarch. c. 6. teste Aug. l. 21. de Civit. c. 17. & 23. postit, Demones, & homines damnatos aliquando liberandos esse a poenis. Alii, referente eodem Aug. ibid. dixerunt, non Demones, sed solum homines damnatos aliquando liberandos. Alii, solos Christianos. Alii tandem, solos eos ex Christianis, qui operibus misericordiae insisterent. Contra quos omnes

Dico 1. De fide est, poenas omnium damnatorum tam hominum, quam Demonum, de lege communi fore aeternas, sicque peccatum mortale, in hac vita non remissum, plectendum esse in Inferno poena aeterna. Ita passim Scripturae Isa. 66. de damnatis dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur*. Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*. Et: *Ibi hi in supplicium aeternum*, seu ut legit Aug. *in combustionem aeternam*. 2. Thessal. 1. *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini*. Apoc. 14. *Cruciantur igne, & sulphure... in saecula saeculorum*: & alibi.

Si dicas, Scripturam nomine aeternitatis saepe significare non perfectam aeternitatem, sed longam durationem. R. Equidem ita esse; sed nego posse sic intelligi, ubi loquitur de poenis damnatorum: tum quia SS. Patres unanimiter intelligunt de perfecta aeternitate, & hic est sensus communis fidelium: tum ex contextu; eodem enim modo Scriptura loquitur de poenis damnatorum, ac de vita Beatorum, *Ibi hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*. Certo autem constat, vitam Beatorum fore proprie aeternam: ergo & aeternas proprie poenas Damnatorum; atque ita est definitum in Conc. Later. C. *Firmiter* de SS. Trinit. & in Conc. Trid. Sess. 6. can. 14. & 25. & sess. 14. can. 5.

Dixi: *De lege communi*; quia non est dubium, quin Deus possit de potentia absoluta omnes damnatos a poenis absolvere, & Infernum evacuare.

Dices insuper: S. Hieron. l. 1. Dialog. adversus Pelag. dicit, *Christianos, si in peccato proventus fuerint, salvandos esse post poenas*: ergo. Respondent quidam, Hieronymum non loqui ex propria, sed aliorum sententia. Sed quo fundamento nitatur haec responsio, non video, cum haec verba sint *Artici*, qui in hoc Dialogo gerit personam Hieronymi, vel saltem Catholici. Unde respondendum est cum Mariano Victore in Scholis ad hunc Dialogum Schol. 33. Hieronymum intelligere poenas Purgatorii, quibus fideles praeventi in peccato, remisso quidem quoad culpam, sed non quoad totam poenam, puniri debent, & post haec salvari: quo sensu dixit Apost. 1. Cor. 3. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*.

Verum, supposito fidei dogmate, subtilior movetur quaestio inter Theologos: an aliquod peccatum ex se, & intrinseca sua malitia inducat reatum poenae aeternae; an tantum id ei conveniat per accidens, sive ratione legis latae a Deo, qua illud sub poena aeterna prohibet, sive ratione subiecti, quod perpetuo manet privatum gratia? Pro cuius resolutione.

Dico 2. Peccatum mortale ex se & intrinseca sua malitia inducit reatum poenae aeternae; peccatum veniale reatum poenae temporalis tantum. (Hic a. 3. & 5.)

Prob. utraque pars simul: (Ibid.) Illud peccatum ex se & intrinseca sua malitia inducit reatum poenae aeternae, quod importat inordinationem de se irreparabilem; peccatum enim inducit reatum poenae ratione inordinationis, ut dictum est; manente autem causa, manet effectus; atqui peccatum mortale ex se & intrinseca sua malitia dicit inordinationem de se irreparabilem, non peccatum veniale: ergo. Prob. Min. duplici momento: 1. Peccatum mortale avertit, & deordinat ab ultimo fine, ut dicemus infra, peccatum autem veniale deordinat tantum circa media ad finem; atqui deordinatio ab ultimo fine ex propria ratione est irreparabilis, non deordinatio circa media: ergo. Prob. Min. Sic se habet ultimus finis in moralibus & practicis, sicut primum principium in speculativis; atqui

error circa primum principium in speculativis est de se irreparabilis: a quo enim repararetur? Secus error circa conclusiones, qui ex recta principii intelligentia potest reparari: ergo deordinatio circa finem ultimum est de se irreparabilis, non deordinatio circa media.

Prob. 2. prima Minor: Peccatum mortale tollit gratiam, quae est principium vitae spiritualis, sicque se habet ut mors animae: peccatum autem veniale non tollit gratiam, sed tantum ejus fervorem minuit: sicque se habet ut moribus, & languor animae; atqui mors non est reparabilis nisi per miraculum, moribus autem & languor est reparabilis viribus naturae: ergo. Confirmatur: Deus est justus in poenis infligendis; atqui peccatum mortale poena aeterna in inferno, veniale poena temporalis in hac vita, aut in Purgatorio: ergo peccato mortali ex se debetur poena aeterna, veniali poena temporalis.

Dices contra 1. partem. Poena justa adaequatur culpae; justitia enim est aequalitas: unde Isai. 27. *In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit iudicabit eam*; atqui peccatum est temporale, & saepe momentaneum: ergo illi non debetur poena aeterna. R. D. Maj. (Ibid. art. 3. ad 1.) Poena justa quoad quantitatem, seu acerbitem adaequatur culpae, C. Quoad durationem, N. Nam, sicut Aug. dicit 21. de civit. c. 11. in nullo iudicio etiam humano requiritur, quod poena adaequetur culpae quantum ad durationem, Non enim, quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena puniatur, sed quandoque perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora brevis, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium, & sic representat suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus.

R. 2. D. Min. (Ibid. & in 4. d. 46. q. 1. a. 3. o.) Peccatum est temporale, & momentaneum quantum ad actum, C. quantum ad affectum, & voluntatem, N. Qui enim peccat mortaliter, vellet semper peccare, si semper posset vivere, inquit Greg. l. 4. Dialog. c. 24. Neque obstat, quod quidam peccantes mortaliter proponant vitam in melius emendare: hoc ipso enim quo quis peccat mortaliter, finem suum ultimum in creatura constituit; & quia ad finem vitae tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso, & vi istius actus totam vitam suam ordinat ad illum finem, & vellet quantum est ex vi actus perpetuo in peccato permanere, si hoc sibi esset impune.

Repones: Aug. supra illud Psalm. 71. *Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum*, dicit: *Deus plus exigit in poenis, quam commissum fuerit in culpa*. R. Sensus Aug. esse, quod acerbius sit poena, quam jucunda fuerit delectatio; non tamen quod haec poena acerba, & aeterna excedat delectationem culpae.

Dices contra 2. partem: Peccatum veniale est majus malum quolibet malo poenae: ergo nulla poena adaequare potest peccatum veniale, nisi sit aeterna. R. 1. Hoc argumentum nimis probare, scilicet poenam infinitam, & aeternam posse adaequare peccatum veniale; quia, cum peccatum veniale sit diversum, & alterius ordinis, nempe moralis, quantumvis crescat, aut duret poena, nunquam poterit attingere hunc altiorum ordinem. Unde R. 2. D. Conseq. Nulla poena potest adaequare peccatum veniale in ratione naturae, C. quia, ut dixi, est altioris ordinis. In ratione satisfactionis, N. Poenae enim poena esse sufficiens ad vindicandam, & puniendam culpam ad aequalitatem secundum moralem aestimationem: sicut, licet argentum nunquam possit adaequare aurum in ratione perfectionis naturalis, potest tamen in ratione valoris. R. 3. Peccatum veniale est majus malum &c. & ex se irreparabile, N. Ex se reparabile, C. Ubi autem est reparatum, cessare debet poena.

Inst. Nulla poena, quantumvis magna, sufficit, ut peccans venialiter satisfaciat Deo pro injuria illata. Item major est injuria unius peccati venialis contra Deum, quam injuria infinitae contra personas creatas; haec exigent poenam infinitam: ergo. R. 1. Hic non esse quaestionem de satisfactione, in qua attenditur ratio voluntatis, & proportio inter offendentem, & offensum; sed de satisfactione, in qua attenditur tantum aequalitas rei ad rem; ut scilicet peccator tantum potestati subjiciatur, quantum eam laesit. 2. Nego, peccatum veniale esse proprie offensam, & injuriam Dei; quia, licet sit contra, aut praeter ejus legem, non est tamen contra legis finem, qui est charitas, neque contra ultimum finem, sed contra media tantum, non quidem necessaria, sed utilia dumtaxat. Insuper est foret offensam proprie, esset tamen finita, consequenter finitus reatus; aliae autem offensae inferioris ordinis, consequenter in argumento infinitae.

Dico 3. (Ibid. art. 5. ad 3. in 2. d. 33. q. 2. art. 1. ad 2. suppl. q. 69. art. 7. & q. 7. de malo art. o.) Quamvis peccatum veniale ex se debeat tantum poena temporalis, ut dictum est; attamen non remissum quoad culpam in hac vita, & mortali conjunctum, per accidens puniatur in inferno poena aeterna. Ita cum Auctore censent S. Bonavent. Richardus, Abulens. & alii

alii plures, tam antiqui, quam recentiores, contra Scotum & Scotistas. Prob. (Ibid.) Nunquam poena remittitur manente reatu poenae, alioquin reus poenam non pateretur, quod est contra justitiam; atqui in damnatis semper manet reatus poenae debite poenae venialis, non remissio in hac vita quoad culpam: ergo semper remanet poena. Prob. Min. Quamdiu manet culpa, manet reatus poenae; debite culpae; atqui culpa venialis, hic non remissa, nunquam in inferno remittitur: ergo. Prob. Min. multipliciter: 1. Quia damnati sunt simpliciter in termino; existenti autem simpliciter in termino, nullius culpae datur remissio. Dixi: simpliciter in termino, ut praevenerim instantiam, quae posset fieri de animabus in Purgatorio, quae non sunt simpliciter, sed secundum quid in termino. 2. Nunquam culpa venialis remittitur, nisi per voluntariam, & condignam retractionem factam ab illo, qui peccavit; quae voluntaria, & condigna retractatio fieri non potest sine actu charitatis & poenitentiae, cujus non sunt capaces damnati, utpote obstinati in malo. 3. Nulla culpa potest remitti, nisi per applicationem meritum Christi; omnis enim peccati remissio est effectus meritum Christi; atqui damnatis nulla fit applicatio meritum Christi, cum non sint ejus membra, ut docet Auctor 3. p. q. 8. art. 3. nec pro illis in hoc statu existentibus mortuus sit; ut dixi in 1. p. Et ideo sensus communis fidelium & Ecclesiae est, quod in inferno nulla sit redemptio: ergo.

Dices 1. Poenam non remissam iri per satisfactionem, sed per satisfactionem; cum enim sit finita, potest finito tempore solvi, etiamsi remaneat culpa, ut patet in reo iudicii humani, cui quamvis Judex, aut Princeps non condonat culpam, si tamen proportionatam poenam solverit, nihil amplius debet: ergo. R. Esto Antecedens esse verum in eo, qui nullum affectum retinet ad culpam; sed tamen, si affectum formalem, vel virtualem retinet ad culpam: unde, sicut si reus in iudicio humano, tantum poenae subjaceret, quam respectu iudicium humanum, tantum poenae subjaceret, quam respectu iudicium veritatis; ita similiter damnati in malo obstinate retinentes affectum ad peccatum, quem respicit iudicium divinum, tantum incurunt reatum poenae luende propter istum affectum & culpam: non quod vi praesentis status (ut praecipue instantia) demereantur, sed quia per culpam in via meruerunt puniri, quamdiu continuarentur, nec remitteretur.

Inst. Si reus in iudicio humano poneretur extra statum merendi, aut demerendi, puta, si fieret stultus, quamvis perseveraret in culpa exteriori, pro qua patitur, non ideo magis puniretur: ergo similiter de damnatis. R. N. Conseq. Disparitas est, quod iste stultus non peccaret amplius nisi materialiter; damnati autem peccant formaliter libera voluntate & affectu: & quamvis, ut dictum est, non demereantur in hoc statu, meruerunt tamen in via puniri, quamdiu remaneret culpa formalis. Absurdum enim videtur, quod homini, in sua malitia perseveranti, & nullo modo poenitentis, poena relaxetur.

Dices 2. Justa commune axioma Deus punit circa condignum; atqui peccatum veniale de se non meretur poenam aeternam: ergo. R. data Majori, quam non omnes Theologi admittunt, de quo vide Sylvium in suppl. q. 99. art. 3. Quarit. 2. N. Conseq. Quia, licet peccatum veniale non mereatur de se poenam aeternam, meretur tamen per accidens, unde non puniatur ultra condignum; cui si addas, quod poena sit minus intensa, quam mereatur, habes, quod etiam puniatur citra condignum.

Inst. Peccatum veniale non fit gravius ex conjunctione ad mortale; atqui secundum propriam gravitatem non meretur poenam aeternam: ergo nec ut conjunctum mortali. R. D. Maj. Non fit gravius, & tamen fit irreparabile. C. Et non fit irreparabile, N. Non ergo est propter majoritatem culpae hujus venialis, quod diutius puniatur, sed propter indelebitatem, quae provenit ex mortali adjuncto. (Q. 7. de malo art. 10.)

Dico 4. Peccatum mortale, aut veniale, dissimulatum in hac vita quoad culpam, probabilis non puniatur in damnatis poena aeterna. (In 4. d. 12. q. 1. art. 1. ad 5.)

Fateor, S. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 2. quaestione. 3. contrarium sententiam tenere, sed sequenti distinctione 22. quaest. 1. art. 1. ad 5. re attentius examinata, hanc sententiam deserit, & nostram amplectitur. Postquam enim dixit, quosdam tenere quod peccatum mortale dimissum quoad culpam puniatur in inferno aeternaliter, sicut peccatum veniale non dimissum, quae est sententia, quam distinctionem praecedenti tenuerat, subjungit: *Sed hoc non videtur simile, quia veniale (non dimissum) ideo in inferno aeternaliter puniatur, quia semper manet, cum non sit sibi aliquid, quod culpam delere possit; sed poena ex hoc quod solvitur, exspirat. Et ideo alii dicunt, quod poena, cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno puniatur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio; quia poena, quae solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale*

poena inferni minatur usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur. Quibus verbis S. Doctor nedum Conclusionem nostram asserit, sed probat, & argumenta in contrarium solvit. Si opponas auctoritatem Aug. qui in Psalm. 105. dicit, poenas Damnatorum non mitigari. R. Aug. vel intelligere de poena essentiali, vel non respexisse ad hunc casum particularem de peccatis remissis in hac vita quoad culpam, sed ad communem tantum legem & rationem peccatorum, propter quae peccatores damnantur.

ARTICULUS V.

Utrum omnis poena sit propter culpam; & an aliqui puniantur propter culpam alterius?

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Resolutio hujus difficultatis pendet ex notione poenae, quam articulo praecedenti definivimus: (Hic art. 7. o.) *Malum afflictivum, inflictum creaturae rationali contra ejus voluntatem, in vindictam proprii peccati*. Unde poena proprie, & stricte sumpta tria includit: 1. quod sit malum afflictivum; 2. quod sit contra voluntatem, aut saltem naturalem ejus inclinationem; 3. quod infligatur ei, qui peccavit.

Hinc inferes 1. poenam proprie, & simpliciter esse propter culpam illius, qui puniatur. (Ibid.) Inferes 2. poenam satisfactoriam non esse semper pro culpa illius, qui puniatur; quia is, qui non peccavit, potest ex amore, quo alteri unitor, voluntarie suscipere poenam pro ipso: sicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliqui in se transferat debitum alterius. (Ibid.) Inferes 3. multa obvenire hominibus, quae videtur poenalia, ut sunt morbi, detrimenta fortunae, aliae calamitates & miseriae; quae tamen non sunt simpliciter poenae, partim quia non habent simpliciter rationem mali, partim quia non inferuntur propter culpam. (Ibid.)

Sic ex 1. capite saepe contingit, (Ibid.) quod homo patitur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori, sicut cum patitur detrimentum poenae propter salutem corporis, vel in utroque horum propter salutem animae, & propter gloriam Dei: & tale detrimentum non est simpliciter malum hominis, sed secundum quid; unde non habet simpliciter rationem poenae, sed medicinae: nam Medici austeras potiones prescribunt infirmis, ut conferant sanitatem. Sic patet ex alio capite saepe calamitates, & afflictiones immituntur justis, non in punitionem peccatorum praeteritorum, sed vel in cautelam futurorum, vel ad exercitium virtutum & incrementum meriti, vel in aliorum exemplum & instructionem, vel ut gratia & gloria Dei magis elucescat. (2. 2. q. 164. art. 1. ad 4.) Patet ex Tobiae 2. ubi dicitur: *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut & sancti Job*. Et cap. 12. Angelus Raphael dicit Tobiae: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Joanni 9. de caeco nato dicit Christus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei*. Item patet in Joanne Baptista, in B. Virgine, in ipso Christo Redemptore, qui cum essent absque peccato, multa tamen passi sunt. Ita docent Aug. l. 2. de peccat. meritis c. 12. & S. Ambros. l. 2. de interpell. c. 11.

Error contrarius fuit amicorum Job, teste S. Thom. in comment. ad c. 4. 6. & 8. Job; quem errorem nostris temporibus suscitavit quidam, ut constat ex sequentibus propositionibus damnatis. 1. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultimes peccatorum ipsorum*. Est 72. inter Bajanas. 2. *Nunquam Deus affligit Innocentes; & afflictiones semper servium, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem*. Est 70. inter Quaesnellianas.

Observandum tamen, (Hic art. 7. o. & q. 5. de malo art. 4.) haec poenalia immissa in cautelam futurorum & in exercitium virtutum, quae dicimus non habere rationem poenae simpliciter, reducenda esse remotè, & indirectè in culpam originalem tanquam in causam; quia, quod homo sit talis conditionis, ut vel ad vitandum peccatum, vel ad proficiendum in virtute, oporteat ei subvenire per hujusmodi poenales, & incommoda, est ex corruptione & infirmitate naturae, quae est poena Peccati Originalis; in statu enim innocentiae non oportuisset, aliquem ad profectum virtutis inducere per poenalia exercitia.

§. II. Secunda difficultas resolvitur.

Dico 1. (Hic art. 8. o.) Nemo puniatur poena simpliciter & proprie dicta pro peccato alterius, sed unusquisque pro peccato suo puniatur, juxta illud Ezech. 38. *Animam, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii*. Ratio est; quia actus peccati est aliquid personale; atqui poena ut poena infligitur in pu-

punitionem peccati: ergo ipsa est etiam personalis. Confirmatur: Pena ut pena infligitur ad reparandum aequalitatem iustitiae, quatenus, qui peccando nimis voluntati suae indulset, aliquid contra suam voluntatem patitur: ergo oportet illum ipsum pati poenam, qui violavit iustitiam. Patet insuper ex definitione poenae supra tradita.

Dico 2. *Ibid.* Si loquamur de poena satisfactoria, contingit quod unus portet poenam alterius; quatenus unus alteri conjunctus vinculo charitatis voluntarie assumit poenam peccatis aliorum debitam, ut jam diximus, juxta illud Apost. Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Observat Sylvius, Auctorem loquendo de poena satisfactoria non dicere, quod unus puniatur pro alio, sed quod portet poenam alterius; quia puniri est sustinere poenam ab extrinseco illatam, nihil conferente eo qui patitur: sed satisfacere pro alio est voluntate assumere, & ita portare poenam alterius.

Dico 3. *Ibid.* Si loquamur de poena, ut habet rationem medicinae, contingit, quod unus puniatur pro peccato alterius, poena scilicet corporali & in presenti vita, non spirituali, nec etiam corporali in altera vita.

Ratio 1. partis est; *Ibid.* quia ut diximus §. praecedent. detrimenta rerum corporalium, vel etiam ipsius corporis in hac vita sunt quaedam poenae medicinales ordinatae ad salutem animae, ad quam revera proficiunt, si patienter tolerantur. Unde nihil prohibet aliquem puniri pro peccato alterius, vel a Deo, vel ab homine, nimirum filios pro parentibus, subditos pro dominis, in quantum sunt quaedam res eorum: iuste enim quis puniatur in re sua, filii autem sunt aliquid parentum, subditi sunt aliquid dominorum. Sic Aegyptii puniti fuerunt morte suorum Primogenitorum, tam puerorum, quam hominum: sic homo peccator in judicio humano punitur occasione suorum animalium, confiscatione, devastatione, incendio suorum honorum: sic Reges puniuntur, non solum Regnorum amissione, sed etiam subditorum intercessione: ita tamen quod in judicio divino, si filius, vel subditus sit particeps culpae, hujusmodi poenae defectus habeant rationem poenae quantum ad utrumque, scilicet quantum ad eum, qui puniatur, & cum, pro quo puniatur: si vero non sit particeps culpae, habent rationem poenae quantum ad eum, pro quo puniatur; quantum vero ad eum, qui puniatur, rationem medicinae tantum; ordinantur enim ei ad bonum animae, si patienter sustineat. Ratio secundae partis: *Ibid.* Quia poenae spirituales hujus vitae, ut sunt amissio gratiae & virtutum, vel tam spirituales, quam corporales alterius vitae, ut poena damni & sensus, non sunt medicinales. De poenis alterius vitae in Inferno, vel Purgatorio patet; quia in termino non est amplius locus merito, vel demerito. De poenis spiritualibus hujus vitae etiam patet; tum quia bonum animae, cujus detrimentum est poena spiritualis, non ordinatur ad aliud melius bonum; tum quia quantum ad animam filius nihil est patris, & servus nihil est Domini: non debet autem quis puniri pro peccato alterius in eo, secundum quod nihil est illius.

Si dicas, quod quandoque propter quorundam peccata, Civitates & Regna ad Haereticos transeant, unde Innocentis privantur spiritualibus bonis, ut usu Sacramentorum, verbi divini praedicatione, &c. R. Conclusionem esse intelligendam de bonis spiritualibus interioribus animae, ipsique inherentes, ut sunt gratia sanctificans & habitus virtutum, quibus nemo spoliatur nisi propter propriam culpam; non autem de bonis spiritualibus exterioribus, quibus qui privantur, non proprie puniuntur, quia haec auxilia nec sunt illorum, nec eis debentur, sed sunt meré gratuita.

Illud autem Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in 3. & 4. generationem eorum, qui oderunt me;* potest intelligi de poena ut medicinales est, ad sensum 1. partis Conclusionis; vel etiam de poenis spiritualibus, quatenus filii imitantur peccata parentum; & ideo dicit in 3. & 4. generationem, quia tandem consueverunt homines vivere, ut 3. & 4. generationem videant, & sic mutuo videre possunt & filii peccata parentum ad imitandum, & partes poenae filiorum ad dolendum. *Ibid.* ad 1.

Si dicas juxta ultimam interpretationem filios non puniri propter peccata parentum, sed propter sua. R. Puniri propter sua & parentum, quatenus Deus longanimis & patiens non statim punit, sed tandem irritatus, quod filii peccatis parentum propria addicit, haec punit, non gravius, quam mereantur; gravius tamen, quam punivisset, si peccata parentum non praecessissent.

HUC usque egimus de poena debita pro peccato personali: superest autem celebris controversia, quae poena debeatur Peccato Originali. Quidam volunt, utramque poenam damni & sensus illi deberi, consequenter parvulos, cum eo solo originali peccato decedentes, pati non solum poenam damni, sed etiam sensus. Alii tenent, eos pati solum poenam damni, & non sensus; & inter istos quidam existimant ex poena damni, seu carentia divinae visionis parvulos percepturos aliquem dolorem, aut tristitiam; negant alii. Duplicem hanc controversiam duplici §. dirimemus. Unde sit

§. I. Utrum parvuli morientes cum solo originali peccato patiantur poenam sensus?

Suppono tanquam certum de fide, parvulos morientes cum peccato originali pati poenam damni; quia nemo potest consequi vitam aeternam, quae sita est in clara Dei visione, sine gratia, qua carent parvuli morientes sine Baptismo. Unde illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et ita definit Conc. Trid. Sess. 5. can. 4. Quantum autem ad poenam sensus, de qua lis est,

Dico: (3. p. q. 1. art. 4. ad 2. in 2. d. 33. q. 2. art. 1. q. 5. de malo art. 2. et 3.) Parvuli, morientes cum solo originali peccato, non patiuntur poenam sensus. Ex Scholasticis, praeter Auctorem, ita tenent Mag. Sentent. Alexander de Hales, S. Bonavent. Scotus, Petrus de Tarent. Innocent. V. Henricus a Gandavo, Aegidius Rom. Capreol. S. Bernardinus Senens. S. Antoninus, Tostatus, & penè innumeri alii tam antiqui, quam recentiores, ita ut S. Thom. q. 5. de malo art. 2. asserat esse sententiam communem: *Communitè dicitur, inquit, quod peccato originali non debetur poena sensus.* S. Bonavent. in 2. d. 33. q. 1. *Hunc modum dicendi, inquit, scilicet nostrum, magis approbat Magistri communiter.* Idem dicit Scotus ibid. q. unica. Bartholomaeus Medina, loquens de sententia opposita: *Dura est, inquit, estque jam ab omnibus explosa:* Cariel. 1. 2. q. 83. art. 4. dicit, *nostram sententiam esse omnium Scholasticorum, uno excepto Gregorio Arimino.* Godoi ibid. Disp. 38. §. 6. *Est haec temporibus apud Theologos ita communis, ut recedere ab illa non sit tutum.* Lemos tom. 1. parafl. c. 24. *Dicendum illos (pueros) poena sensus nullo modo affecti, ut communis est Sanctorum & Theologorum sententia.* Bellarm. de am. grat. libr. 6. c. 4. de sententia opposita: *Quae quidem sententia non videtur aperte reprobata ab Ecclesiis; rejicitur tamen passim in scholis.*

Prob. 1. ex Scriptura. Apocal. 18. dicitur: *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & lucrum:* ubi poena sensus correspondet peccatis actualibus, & propria voluntate commissis, sive spiritualibus indicatis per glorificationem & superbiam, sive carnalibus significatis per delicias. Parvuli autem neutro modo peccaverunt: ergo.

Si dicas, inde quidem probari eos, qui peccant actu & voluntate propria pati poenam sensus, sed non sequi eos: solos & non alios, qui peccaverunt voluntate aliena, eam patris sicut, si diceretur de Martyre, tantum glorificatur, quantum fuit in tormentis, non sequeretur alios, qui non fuerunt in tormentis, non fore glorificandos. Contra hanc eversionem facit observatio nostri Capreoli in 2. d. 33. q. 1. art. 3. ad 2. ubi adversus Gregorium Arimino, sententiae contrariae Patronum, sic scribit: *Christus ubicunque loquitur de poena sensus improbis inferenda, semper praemittit aliquid pertinens ad eorum culpas actuales omittit, aut commissivas.* Idque probat ex illo Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Item ex Apost. 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum:* & addit idem Capreol. *Nonquam in doctrina altissimi Apostoli contineri poenam positivam infligendam iis, qui nullum actuale detrimentum fecerunt.* Quae observatio est ponderatione dignissima, quippe qua aperte indicatur poenam sensus sic esse propriam peccatis actualibus personalibus, ut originali non conveniat.

Confirmatur Isai. ultimo & Marc. 9. *Supplicio ignis jungitur vermibus conscientiae: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur;* atque parvuli non patiuntur vermem, hoc est remorsum conscientiae, ex malo opere: ergo.

Prob. 2. Ex Jure Cap. *Majores* Extra de Bapt. Innoc. III. dicit, quod *Pena Originalis Peccati est carentia visionis Dei: actualis vero poena peccati est geheme perpetua cruciatus:* debet autem intelligi prima pars de carentia visionis cum exclu-

sione gehennae cruciatus; alioquin forent eadem poenae pro utroque peccato actuali & originali sine ulla distinctione, quam tamen intendit Pontifex.

Prob. 3. Ex Patribus. Greg. Nazianz. cujus tanta fuit auctoritas, teste Aug. ut tria Ecclesiae haberetur, orat. 40. in lavacrum, distinguunt tria genera hominum sine Baptismo decedentium; quorum alii Baptismum contempserunt, alii propria negligentia omiserunt, alii, scilicet Infantes, negligentia aliorum caruerunt, & de eorum omnium poena post mortem sic pronuntiant: *Existimo futurum, ut primi quidem cum aliorum scelerum, tum etiam Baptismi contempti poenas launt. Alii autem poenas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi praevaritate, quam stultitia à Baptismo aberrarint. Postremi denique non caelesti gloria, nec supplicii a justo iudice afficiantur, ut ipse, qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc facuram passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim, quisquis supplicio dignus non est, proinde honorem quoque meretur: quem admodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur.*

Hoc autem testimonium ita est aperium, ut nulla tergiversatione possit eludi. Et revera, quae reponunt adversarii, adeo levia sunt, ut vix responsione indigeant. Dicit ergo Aurelius Pietro 1. S. Gregorium excludere a tertio genere non poenam simpliciter, sed poenam qualem patiuntur duo prima genera. Sed hoc est aperte falsum; nam 1. non dicit S. Gregorius, quod postremi afficiuntur supplicio leviori, sicut dixerat de secundo genere respectu primi, sed simpliciter, quod *supplicio non afficiantur.* 2. dicit, quod equidem sint indigni honore, sed tamen quod non mereantur poenam; quod esset falsum, si poenam etsi leviorer mererentur. Insuper impertinenter observasset, quod quisquis supplicio dignus non est, non ideo meretur honorem; & quod quisquis honore indignus, non ideo meretur poenam; siquidem juxta interpretationem Patris Augustiniani & honore indigni forent, & poenam mererentur. Respondit 2. laudatus Theologus, S. Gregorium loqui de adultis, qui propria peccata habent, sed & hoc est aperte falsum: loquitur enim, ut dictum est & patet, de his, qui ita sunt honore indigni, ut tamen poenam non mereantur. Item loquitur de his, qui *improbitate carent*, utique propria & personali, ut evidens est.

Alter Greg. Nyss. in orat. de infantibus immatura morte sublati: *Immatura mors infantium, inquit, dimittitur neque in doloribus & metuita futuris esse eos, qui sic vivere desiderant.* S. Bern. serm. 3. de Resurrect. *Quid adit, aut punit Deus propter propriam voluntatem? Cesset propria voluntas, & infernus non erit: in quem enim ignis ille deservit, nisi in propriam voluntatem?* De morte Aug. de quo praecipue litigatur, dicemus in sol. Object.

Prob. 4. Ratione. Poena debet esse proportionata & debita culpae, il per se notum est; unde illud Isai. 17. *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerint, iudicabis eam;* atque poena sensus non est proportionata nec debita culpae originali: ergo.

Prob. Min. in qua est difficultas, multipliciter. *In 2. d. 33. q. 2. art. 1.* 1. Peccatum originale non est per voluntatem personae, sed per voluntatem naturae: ergo debet puniri poena naturae, & non poena personae. Subsupino; atque poena sensus contingit per passionem propriam personae; poena vero damni est poena naturae, & quamvis in persona, non est tamen ratione personae, aut suppositi, sed ratione naturae, quae invenitur privata gratia, seu iustitia originali, sine qua ipsi non debetur visio Dei, utque bonum indeditum principii naturae: ergo.

Prob. 2. eadem Min. *(Q. 5. de malo art. 2.)* Poena sensus nunquam debetur habituali dispositioni; non enim aliquis puniatur sive a Deo, sive ab hominibus, ex hoc quod sit habitus ad furandum, sed ex hoc quod actu furetur. Habituali autem privationi absque omni actu debetur aliquid damnatum, puta, qui non habet scientiam litterarum ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. Atqui in parvulo est privatio habitualis, scilicet gratiae & iustitiae originalis. Item est dispositio habitualis tantum sine omni actu, nempe concupiscentia, quae parvulum facit habitum ad concupiscendum, ut Aug. dicit, adultum autem actu concupiscentem: ergo parvulo defuncto cum originali non est proportionata, nec debita poena sensus, sed solum poena damni, quia videlicet non est idoneus perducere ad visionem divinam propter privationem originalis iustitiae.

Prob. 3. eadem *Ibid.* Min. Poena sensus respondet conversioni ad bonum commutabile, sicut poena damni respondet aversioni a Deo; & ideo peccato actuali, in quo reperitur conversio & aversio, debetur utraque poena; atque in Peccato Originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animae iustitiae originali. His

tribus D. Thom. rationibus nihil reponunt adversarii, quod eas vel leviter infringat. Id unum aegre fero, doctissimum ac mihi commendatissimum Sylvium D. Thom. hac in parte non solum deseruisse, sed dixisse, quod, si S. Doctor Summam absolvisset, non desit ratio existimandi eum in alteram partem declinatorum; cum nullum sit, nequidem levissimum hujus existimationis fundamentum, si quidem S. Doctor in ipsa ultima parte suae Summae eandem sententiam, quam junior toties docuerat, constantè & resolutè adhuc asserat.

Prob. 4. eadem Min. Ecclesia in imponendis poenis & satisfactionibus imitatur ordinem & modum divinae iustitiae peccata punientis; atque Ecclesia nullam imponit poenam, aut satisfactionem sensibilem pro Peccato Originali; nec jubet adultos, qui Baptismum suscipiunt, concipere de illo dolorem, aut tristitiam: ergo censet, nullam huic peccato deberi, aut respondere poenam sensibilem in futuro saeculo.

Prob. 5. Conclusio ab inconvenientibus. Cum poena sensus, sit aeterna & acerbissima, atque pueri, qui illam paterentur, essent destituti gratia, non posset non generare in illis graves motus impatientiae, irae, desperationis, odii, & blasphemiae in Deum; atque id admitti non potest, nec debet in istis parvulis, estque damnatum in Baio propositione 49. ergo. Neque dicas, idem sequi ex poena damni: probabimus enim infra pueros, nullum ex ea dolorem tristitiamve percepturos. Non valet, etiamsi dicas, non omnes, qui miseris & afflictionibus afficiuntur: motibus impatientiae irae, desperationis, odii, & blasphemiae in Deum afferti. Id quidem verum est in hac vite, ubi miseriae comparatae miseris alterius vitae vix miseriae nomen merentur, & qui his affliguntur, gratiae auxiliis adjuvantur ad eas patienter tolerandas, quod non contingit in Inferno.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Matth. 25. in extremo judicio dicitur omnibus, qui erunt in sinistra: *Ite in ignem aeternum;* atque parvuli erunt in sinistra: duo enim tantum erunt ordines iudicandorum, quorum alii ad dexteram, alii ad sinistram collocabuntur; parvuli non erunt ad dexteram: ergo ad sinistram. R. hujus celebris textus, cui maxime confidit adversa sententia; tres esse expositiones, quas lectoris iudicio permitto, ut eam, quae ipsi probabilior videbitur, eligat. 1. D. Maj. In extremo judicio dicitur omnibus adultis, qui erunt ad sinistram, *Ite &c.* Omnibus omnino, N. Itaque non describitur eo loci forma iudicii servanda respectivè ad omnes omnino, sed tantum iudicii discussionis servanda respectivè ad adultos, qui habent propria opera bona & mala. Hoc patet 1. ex Parabolis ibidem, scilicet de talentis, de ovibus & haedis, & ex toto contextu. 2. Ex causis sententiae: *Esurivi & non dedistis mihi manducare &c.* *Esurivi & dedistis &c.* sub quo intelliguntur omnia opera personalia bona & mala: haec enim solis adultis, nullatenus parvulis conveniunt. Si inde inferas: ergo nec ista verba, *Venite benedicti &c.* non respiciunt parvulos baptizatos: concedo; neque tamen inde sequitur, eos non esse vocandos in regnum per aliam sententiam, sicut non baptizatos non esse excludendos per aliam sententiam. Huic interpretationi favet, quod docet Auctor, in 4. d. 47. q. 1. art. 3. scilicet, quod pueri ante perfectam aetatem decedentes comparebunt in iudicio, non ut iudicentur, scilicet hoc iudicio discussionis, ut explicat quaestiuicula sequenti, sed ut videant gloriam iudicii. Hunc textum Augustinus respectivè ad iudicandos variè interpretatus est: Lib. de fide & operibus c. 5. intellexit de forma iudicii, quae servabitur respectu eorum, qui sunt in Ecclesia boni & mali. Lib. de 8. questionibus Dulceti q. 1. intellexit de forma iudicii servanda respectu eorum, qui fecerunt vel non fecerunt opera misericordiae. Et ser. 14. de verbis Apost. c. 3. intellexit de sententia respectu omnium omnino, etiam parvulorum.

2. Esto, hunc locum Matth. esse intelligendum etiam de parvulis. Nominis ignis (cujus in poenis summa est acerbitas) omnes poenae inferni, quarum pro meritis maxima est varietas, comprehendunt, sicut nomine regni in priori sententia comprehenditur omnis gaudiorum varietas in regno caelesti. Quamquam, sicut ibi communis erit omnibus clara Dei visio, sic damnatis omnibus erit communis divinae visionis privatio. Ita Estius in hunc locum, juxta quam interpretationem nomine ignis intelligitur quidem ipsa poena & combustio ignis; at non haec sola, sed etiam aliae poenae, puta privationis visionis Dei, remorsus conscientiae, alligationis, incarcerationis, factoris, &c. alioquin, sistendo praesè in verbis, damnati solum poenam damni & ignis, & nullam aliam subirent. Certum ergo videtur, Christum sub nomine ignis comprehendisse omnes inferni poenas, non omnibus omnes infligendas, sed accommodatè, & proportionatè, unicuique juxta meritum exigentiam, hanc illi, istam alteri.

3. Nominis ignis potest intelligi, non poenam ignis specificè,